

(44. Hæc enim paupertas, ut voluntaria, differt a paupertate coacta et necessaria, qua plures inviti temporalibus bonis carent, et alieno sustentari coguntur; et ut professa propter amorem Dei in religione a S. Sede approbata, differt a paupertate philosophica et morali, quæ ex motivo pure humano contemnit temporalia ut, teste S. Hieronymo, l. III in *Matth.*, cap. XVI, fecit Crates philosophus, et multi alii, qui divitias contempserunt.

(45. Regulares utriusque sexus nequeunt habere aliquid proprium in particulari: *Communis*, per expressos textus in can. *Non dicatis* 11, caus. 12, q. 1, cap. *Monachi* 2, cap. *Super quodam* 5, c. *Dum ad monasterium* 6, De statu monachorum, ibi: « Prohibemus quoque districte in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione divini iudicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprii, totum in continentem resignet. » Concil. *Trident.* sess. XXV, De regularibus, cap. 2, ibi: « Nemini regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. » Et decret. Clementis VIII, pro reformatione regularium incip. *Nullus omnino*, ubi sic expresse præcipitur: « Quo Tridentini concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria ecclesia, quam ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, et causa, et quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitione legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventus confundantur, quo communis inde victus, et vestitus omnibus suppeditari possit. » Quæ decreta iterum approbata et innovata sunt a sacra cong. Conc. jussu Urbani VIII, in decreto *De apostatis et ejectis*, § 1. *Vid.* verb. *EJECTI*, n. 2, ubi referuntur dicta decreta, et verb. *REGULARES*, n. 85, ubi referuntur dicta decreta generalia Clem. VIII pro reformatione regularium.

(46. Regulares utriusque sexus nequeunt in particulari habere, et retinere aliquid proprium, neque de licentia, ac dispensatione cujuscunque superioris, vel superiorissæ. *Vide* verb. *MONIALES*, art. 2, n. 64, et verb. *LEGATUM*, n. 91.

(47. Adducuntur ad id variæ resolutiones sacrae cong. Conc. *Vide* d. verb. *MONIALES*, a num. 35 ad 67.

(48. Imo talis licentia, etiamsi esset ob- tenta ab eorum generalibus, qui dicerent

eam posse concedere, non excusaret regulares utriusque sexus a culpa, et pœna a *Trid.* concilio imposita, textu expresso in cit. decret. Clement. VIII, § 7, ibi: « Nulla quorumcunque superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit; quominus culpæ, et pœnæ ab eisdem concilii decretis impositæ, et ipso facto incurrendæ, obnoxii sint, etiamsi superiores asseverent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus; » (49. et sic sæpe sæpius respondit sacra cong. Conc. et signanter apud Quarant. verb. *Casus reservati*, pag. 156; Bartholomæum, Sa, Faust., in *Speculo regular.*, lib. 1, De voto paupertatis, q. 108; et Lezanam, tom. I *Summ.*, cap. 6, n. 14, ubi referuntur præcisæ responsiones dictæ sacrae cong. Conc. datæ ad dubia sequentia:

1. An ex dispensatione inferiorum a Summo Pontifice liceat regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus aliaque bona, immobilia videlicet, et mobilia superflua, non obstante decreto concilii, sess. 25 *De regularibus*, cap. 2?

2. An propter talem dispensationem, seu scientiam superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua a culpa, vel pœna excusentur?

3. An superioribus asseverantibus hujusmodi se licentias posse concedere, fides adhibenda sit?

4. An superiorum arbitrio, et præfinitioni stare debeant regulares quo ad mobilia superfluitatem, et convenientiam?

5. An superiore, quantumvis requisito, necessaria suis regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel invito eo, illa sibi comparare, seu retinere?

6. Et quatenus non liceat; an ibidem liceat, cum necessaria ideo negantur, vel subtrahuntur, quia et monasterii facultates non suppetunt?

7. An dicti superiores regulares, dict. cap. 2, declarare, et interpretari possint?

Ad 1. Sacra congregatio Concilii respondit non licere.

Ad 2. Non excusari neque a culpa, neque a pœna ipso facto incurrenda.

Ad 3. Minime adhibendam.

Ad 4. Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personæ, officii, et regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, et cæterarum itidem qualitatum.

Ad 5. Non licere.

Ad 6. Licere, si præcisæ necessitas sit ad individui sustentationem, cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, eisque adeo, ut si quid privatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad superiorem recte deferri oporteat, qui eo primum succurrat ejus necessitati, cujus intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reli-

quum conventui incorporaretur, et in communem cedat utilitatem.

Ad 7. Non posse.

(50. In conventibus, et monasteriis, in quibus, vel ob carentiam reddituum, vel ob incuriam et negligentiam superiorum vita communis non servatur, nec potest introduci, et conventus, seu monasterium indigentis religiosorum seu religiosarum non supplet, nec ob ejus paupertatem supplere potest, quid agendum, et quomodo procedendum? *Vide* verb. *MONIALES*, art. 2, numer. 68.

(51. Quomodo partitæ capsæ communis, seu depositi debeant inscribi? *Vide*, *ibid.*, n. 69.

(52. Ut regulares utriusque sexus in conventibus et monasteriis, ubi non adest vita communis, possint licite exigere, retinere, et expendere livella, debent concurrere quinque conditiones, quæ assignantur. *Vide* *ibid.*, n. 70.

(53. Livella non possunt a regularibus utriusque sexus cedi eorum consanguineis sine licentia sacrae congregationis. *Vide* *ibid.*, n. 71.

(54. Posse autem regulares utriusque sexus remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris tenent passim doctores. *Vide* *ibid.*, n. 72.

(55. Imo plures tenent posse regulares utriusque sexus similes cessiones, remissiones, seu donationes fructuum sui livelli facere absque licentia ad id speciali superioris, sed cum sola licentia generali insumendi tales fructus in suas indigentias, et religiosus usus. *Vide* *ibid.*, n. 73.

Nota Romani theologi.

Quæ religioso professo conceduntur, sive rationi *livelli*, sive alia de causa, aut incorporari conventui debent, aut ita administrari, ut veluti conventui incorporata administrantur. Id enim constat cum ex ipso voto paupertatis, quo quisque particularis astringitur ad nil proprii habendum, sed ad omnia subjienda conventui, ejusque superiori, qui bonorum conventus administrator est tum ex ipso concilio Tridentino, quod solemniter decreto sancivit, incorporandum conventui esse, quidquid particularis quisque religiosus quacunque de causa habeat, et acquirat. Atque hinc fit, ut bona, quorum usus particularibus religiosis indulgetur, sive ex *livello* sint, sive aliunde proveniant, considerari semper debeant incorporata conventui, et illius nomine administrata, qui delectus sit superior et administrator bonorum communitalis; hoc enim secluso, nec bona incorporata conventui dici possent, nec religiosus particularis proprietatem illam excluderet, quæ stare cum voto paupertatis non potest. Quæ cum ita se habeant, facile est intelligere, monachum, sive privatam religiosum, non nisi indulgente administratore bonorum, quæ ad conventum spectant, licite posse, aut *livelli* fructus, aut fructus privati laboris, ad

aliquam usum applicare; nam deficiente hac indulgentia, sive licentia, proprietarius esset, et contra legem concilii Tridentini ageret. Ergo necessaria est licentia superioris, ut privatus religiosus insumere in suas indigentias, et usus possit hujusmodi fructus: et hoc in casu existimari posset bona incorporata conventui, ex voluntate superioris, applicari ad usum privati religiosi, cujus indigentis de bonis ipsius conventus subveniendum esset. Dici autem non potest, privatam religiosum, cui permissum a superiore sit in proprios usus impendere *livelli* fructus, licite eos cedere, remittere, vel donare consanguineis. Nam bona conventus donare privatus religiosus non potest consanguineis, imo neque superior; bona vero hujusmodi veluti in incorporata conventui haberi debent; ergo non solum subditus, sed nec superior ipse potest hanc cessionem, et donationem facere, sed necessaria est sacrae cong. licentia, ut optime dicitur numero 53. Ego vero in hujusmodi casibus ita subditum, ac superiorem se gerere posse opinor. Si conventus ita bonis ditatus sit, ut eleemosynam elargiri indigentibus possit, et debeat, dum consanguinei monialis, vel religiosi, in paupertatem venerint, et veram indigentiam, poterit superior indulgere, ut iis eleemosynam loco hujusmodi fructus remittantur, vel donentur. Si vero iis non egeant, nec subditus, qui voto paupertatis astrictus donare nequit, nec superior, qui non dominus, sed merus administrator est bonorum conventus, poterit hujusmodi remissionem, cessionem, aut donationem facere.

Responsio auctoris.

Ea quæ hic notantur et adduntur a rev. theologo, jam fusiori calamo a me tradita sunt tum in hoc ipso articulo a n. 45, ad 70, tum in verb. *LEGATUM*, a n. 88 ad 94, et in verb. *MONIALES*, art. 2, a n. 65 ad 92, et verb. *REGULARES*, art. 1, a n. 13 ad 20. Nec verum est, quod ipse theologus ibi circa finem suæ notæ opinatur dicens: « Ego vero in hujusmodi casibus ita subditum, ac superiorem se gerere posse opinor; si conventus ita bonis ditatus sit, » etc. Quia quantumvis conventus, seu monasterium sit dives, neque subditus etiam cum licentia sui superioris, neque superior potest condonare livella suis consanguineis pauperibus, neque superior potest talem facultatem subdito concedere. Semper enim requiritur, facultas sacrae congregationis, vel sacrae Pœnitentiariæ in quibusdam casibus occultis, ut pluries egometipse in variis hujusmodi casibus prius a regularibus utriusque sexus consultus, et post debitum recursum ad dicta respectiva suprema tribunalia, facultates ab ipsis concessas executioni demandavi, vel prout continebant, demandandas consului, etiam pro conventibus, et monasteriis ditissimis. Et nec semper tales facultates fuerunt concessæ pro cessione, seu condonatione totius summæ, sed sæpe pro sola media, vel tertia parte, prout pau-

pertas, seu miseria parentibus superventa fuerat representata. Vide supra a me tradita n. 53, et verb. MONIALES, art. 2, n. 72, et quamvis ibi n. 73 et 74, et hic n. 54 et 55, ad eruditionem referam opinionem auctorum tenentium, posse regulares utriusque sexus, remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris; ibi tamen sub n. 84, et hic sub n. 56, subjunxi. Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam et notabilem summam, pro qua semper recurrendum est ad sac. congreg. Vide, et firmiter tene, ut ibi; cum talis sit legitima praxis, et consuetudo, quæ est optima legum interpretis, textu expresso in l. *Si de interpretatione* 48, ff. *De leg.*, et in c. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, cum similibus.

(56. Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam summam. Vide *ibid.*, n. 74.

(57. Regulares utriusque sexus ex pecunia sui livelli, seu aliunde quæsita nequeunt sibi censum emere, seu constituere, neque de licentia superiorum. Imo neque ipsam pecuniam tradere monasterio cum pacto, seu tacita conventionem, quod monasterium certos redditus ad rationem tot pro centenariis, ejus vita durante, concedat seu solvat. Vide *ibid.*, n. 75.

(58. Neque possunt regulares utriusque sexus ex peculo sui livelli, vel aliunde quæsito, et sibi libere a suis superioribus concessio fundare censum, ut ex fructibus post ejus mortem celebrentur Missæ pro ejus anima. Vide *ibid.*, n. 76.

(59. Neque possunt regulares utriusque sexus tradere amico certam summam pecuniæ ex suo livello, seu aliunde quæsita cum pacto, quod post ejus mortem faciat celebrari tot Missas. Vide *ibid.*, n. 77.

(60. An possint regulares utriusque sexus dictam pecuniam ex suo livello, seu aliunde quæsita proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliquæ Missæ in perpetuum. Vide *ibid.*, n. 78.

(61. Sub quibus conditionibus soleat sac. congreg. concedere regularibus utriusque sexus facultatem habendi livella, seu vitalitia. Vide *ibid.*, n. 70.

(62. Adducuntur ad id variæ specificæ resolutiones sacræ congr. Vide *ibid.*, num. 80, 81.

(63. Regulares utriusque sexus administrare non possunt sua livella a se ipsis. Vide *ibid.*, n. 88.

(64. Legatum relictum alicui regulari utriusque sexus sub conditione, quod quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eum, vel eam independentem a licentia superiorissæ, non debetur ipsi, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. Vide supra, n. 46 ad 49, et d. verb. LEGATUM, n. 91 et 92.

(65. Imo legatum relictum regulari in particulari nec momento temporis potest esse apud ipsum, sed illico acquiritur mo-

nasterio. Vide d. verb. LEGATUM, num. 89, 90.

(66. Nec regulares utriusque sexus possunt in particulari habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum etiam generalium, quamvis assenserent posse eam concedere. Vide supra, n. 46 ad 49, et d. verb. LEGATUM, num. 91 et 92.

(67. Adducitur advertentia diligenter habenda. Vide d. verb. LEGATUM, n. 93.

(68. Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda, et præ oculis habenda. Vide dict. verb. LEGATUM, n. 94.

(69. Regulares utriusque sexus an, et quomodo pecuniam ex suo livello, et aliunde quæsitam possint ludo exponere? Vide verb. LUDUS, a. n. 9 ad 16.

(70. Regulares utriusque sexus non possunt uti livellis, nisi servata forma constitutionis Clementis VIII, *De largitione munerum* Sacra congreg. Episcop. , in *Florentina* 21 Julii 1690, ad relationem claræ mem. card. Petrucci, apud Monacell., t. I, in *Append. adnotat. ad constitut. Clementis VIII, De largitione*, n. 7.

(71. Legatum relictum monasterio, seu conventui bonorum incapaci pro sacristia, valetudinario, vel ecclesiæ pro cera, et oleo, non dicitur irritum, sed debet per syndicum investiri pro adimplenda testatoris voluntate. Vide verb. LEGATUM, n. 95.

(72. Unde legatum relictum minoribus de observantia reformatis, et Cappuccinis pro anniversariis, oleo, lampadibus, paramentis, hostiis, sacristia, ecclesia, fabrica, luminaribus, sindonibus, linteis, tunicis, bibliotheca, impressione librorum, pane, vino, pitantia, seu victu, et vestitu, et aliis necessariis, est ipsis tradendum, et solvendum ab hæredibus. Vide *ibid.*, n. 96.

(73. Adducitur ad id decretum sacræ congr. rev. Fabricæ, et juxta illius dispositionem ponitur in claris, supradictos Minores Mendicantes S. P. Francisci esse capaces legatorum juxta modum in eodem decreto præscriptum. Vide *ibid.*, n. 97.

(74. Adducitur decretum congregationis particularis ab Urbano VIII deputatæ. Vide *ibid.*, n. 98.

(75. Adducitur decretum sacræ congreg. Fabricæ S. Petri de Urbe. Vide *ibid.*, n. 99.

(76. Adducitur aliud decretum ejusdem sacræ congr. Fabricæ S. Petri. Vide *ibid.*, n. 100.

(77. Et capacitatem fratrum Minorum obtinendi, et retinendi annua, et perpetua legata per modum simplicis elemosynæ expresse comprobatur breve Urbani VIII, incip. *Exponi nobis*. Vide *ibid.*, n. 101.

(78. Tale breve ad omnium commodum ad litteram datur. Vide *ibid.*, n. 102.

(79. Et ulterius dd. fratrum Minorum capacitatem ostendunt varia decreta, quæ afferuntur. Vide *ibid.*, n. 103 ad 109.

(80. Insuper ad fratrum Minorum capacitatem expresse demonstrant variæ resolu-

tiones sacræ congregationis Fabricæ. Vide *ibid.*, n. 110 ad 113.

(81. Et indistincte pro legatis pro victu, et vestitu semper resolvit sacræ congreg. Boni regiminis. Vide *ibid.*, a num. 114 ad 116.

(82. Item hanc Minorum capacitatem pluries comprobavit sacra congr. Episc. et Regul. Vide *ibid.*, n. 117.

(83. Item eandem capacitatem pluries comprobavit sacra congr. Conc. Vide *ibid.*, num. 118.

(84. Ex supra recensitis stat clarum, quod legata relicta fratribus Minoribus per modum puræ et simplicis elemosynæ sustinentur, et eorum syndicus Apostolicus tanquam unus de populo potest comparere, et implorare officium ordinarii, ut demandet executionem testamenti, et adimpleatur ab hæredibus, seu executoribus mens testatoris. Vide *ibid.*, num. 119.

(85. Imo cum hæres teneatur in conscientia adimplere onera, et ipsas dispositiones testatoris, potest etiam cogi per syndicum Apostolicum, non tanquam unum de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ. Vide *ibid.*, num. 120.

(86. Plurima alia de capacitate fratrum Minorum recipiendi, et retinendi perpetua annua legata per modum puræ, et simplicis elemosynæ videnda relinquuntur apud Pitonius, part. I *Disceptationum ecclesiasticarum*, discept. 2, per tot., et apud Petrum Marcellinum de Lucia in sua dissert. unic. *De legatis pro victu religiosi Mendicantibus relicto*, per tot., ubi ultra adductas, plurimæ alia afferuntur Apostolicæ sanctiones, et sacrar. congregat. responsiones, et declarationes; unde non amplius attendendi sunt doctores in contrarium scribentes.

(87. Quamvis fratres Minores de corpore Observantiæ, et Capuccini, dum de novo in locis recipiunt conventus, nequeant per modum contractus, et tanquam de jure exigere ab universitatibus, et communitatibus, vel ab aliis particularibus benefactoribus, ut annuatim sibi solvatur certa pecuniæ summa, vel quid aliud fixum pro eorum victu et vestitu, cum id sit expresse contra suam Regulam, et pontificias, ac regulares suas constitutiones, ut plene adnotavit Rota, in *Turritana legatorum*, sub diebus 10 Januarii 1595, et 6 Aprilis 1696, *coram Emerix*, cujus votum exquisierat, et exsequi postea mandavit sacra congreg. Episcop. et Regul. sub die 24 Maii 1697, apud Monacell., part. I, tit. 6, formul. 19, num. 27; et tradit Matthæuc., *Official. Curie*, cap. 17, num. 47.

(88. Possunt tamen, præmissa debita protestatione, dictam certam pecuniæ summam, seu quid fixum per modum puræ, et simplicis elemosynæ annuatim recipere per syndicum Apostolicum ad subveniendum suis veris necessitatibus, præsertim in iis locis, ubi victus et vestitus mendicatione nisi valde incommode acquiri sufficienter possit, ut patet ex pluribus resolutionibus sacræ congreg. Boni regiminis relatis sub

verb. LEGATUM, num. 114, 115 et 116. Et sic sæpe sæpius, non solum ipsa sacra congreg. Boni regiminis, sed etiam S. C. Episc. et Regular., Concilii, et R. Fabricæ declarant, ut patet ex earum decretis abunde relatis sub d. verb. LEGATUM, a num. 95 ad 121. Imo Discalceati in Hispania paupertatis Seraphicæ rigidissimi observatores fundationes conventuum non accipiunt absque determinata elemosyna olei, piscium, lignorum, et similibus, ut refert Pitonius, part. I *Discept.*, nu. 83, concludens id licite fieri posse.

(89. Et hæc procedunt, etiamsi assignatio bonorum fieret in contractu inter vivos, uti habemus casum decisum per sacram congreg. Fabricæ in *Imolen. legati seu donationis*, sub die 16 Martii 1707. Vide d. verb. LEGATUM, num. 109.

(90. Formula autem protestationis præmittenda a fratribus Minoribus ante acceptionem legatorum traditur in sequentibus decretis editis a sacra particulari congregatione ab Urbano VIII, specialiter deputata consultationibus familiæ Cismontanæ fratrum Minorum S. P. N. Francisci die 14 Junii 1628, et die sequenti publicata in congregatione generali fratrum Minorum de Observantia in præsentia D. Cardinalis Gypsi, quorum tenor talis est, videlicet:

Sacra congregatio a S. D. N. fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ familiæ consultationibus præposita volens, quantum potest in Domino, ipsorum postulato satisfacere circa novitios ad habitum, et professionem admittendos, sanctitate sua approbante, censuit, tunc demum esse illis permittendum, ut novitios, ut supra, recipiant, cum constiterit ex ipsorum conventibus eos sustulisse abusos omnes, qui regulæ S. Francisci Observantiæ adversantur. Quod ubi præstiterint, designanda erunt loca pro iisdem novitiis recipiendis, et præscribendus recipiendorum numerus, et qualitas, et alia ad eorum institutionem pertinentia, et prout unaquæque provincia id exsequatur, eidem receptionem hujusmodi fore permittendam.

(91. Abusus vero, quibus eos propterea mēderi oportebit, sunt potissimum infra-scripti.

Ac primum abdicent a se, et eorum conventibus non solum pistrina, ac bona omnia immobilia, quæ alicubi contra Regulæ puritatem, et declarationes fel. rec. Nicolai III, et Clem. V, extra, vel intra septa monasteriorum detinent: sed etiam census perpetuos, et legata annua, super quibus sacra congregatio præcipit observari decretum congregationis generalis habitæ die 17 Maii 1603. Cujus tenor talis est:

Cum annuos redditus, sicut cætera bona immobilia nobis habere non liceat, ideo renovantes alia generalia statuta decernimus, quod frater non inducat personam aliquam ad elemosynam perpetuam ordini nostro exhibendam, nec exhibitam a quopiam vivente suscipiat; et si aliqua talis nobis fuerit relicta, nulli modo in judicio exigatur,

declarantes, quod ad perpetua legata petenda non possunt fratres recurrere, nisi humiliter, et per modum eleemosynæ absque allegatione alicujus decreti. Decernitur præterea, ac præcipitur per S. Obedientiam, quod quoties reliqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus personis, et hospitalibus, vel alicui reipublicæ, et aliis domibus ea lege, quod teneantur fratribus præstare singulis annis certam eleemosynam, sive omnino gratis, sive ut ipsi fratres dicant certa officia, et Missas, quod guardianus faciat protestationem ei, qui testatoris voluntatem adimplere tenetur, quod cum ad illas eleemosynas nullum jus habeant ex vi legati, non possint obligari ad illa officia et Missas. Si tamen facta ista protestatione, hæres ex sua libera voluntate voluerit dare eleemosynas illas, et committere fratribus dicta officia, et Missas, tunc fratres tuta conscientia possunt eleemosynas hujusmodi recipere. Quod totum, et multo fortius in relictis legatis singularibus fratribus simili modo faciendum esse decernimus. Inhibemus autem, ut syndicus in sua persona hujusmodi annuos redditus recipiat distribuendos ipsis fratribus.

(92. Protestatio autem sic fiat sub sigillo conventus, videlicet; nos frater N. guardianus, et fratres discreti hujus conventus N. dicimus ad nostram notitiam pervenisse quondam N. certam eleemosynam quantitatem conventui huic distribuendam perpetuo gratis, vel forsitan pro aliquibus officiis, aut Missis dicendis legasse. Cumque legata hujusmodi, nisi per viam simplicis eleemosynæ acceptare ex instituto sancto nostro, et jure nobis non liceat: Ideo per præsentem libere protestamur in Domino, quod legatum prædictum tanquam illius incapaces ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres commissarius, aut legatarius ipsius testatoris dictam quantitatem per viam simplicis eleemosynæ omni obligatione, dominio, et proprietate penitus cessantibus, nobis libere conferre voluerit, illum simpliciter accipiemus, et piæ testatoris voluntati, quantum in nobis fuerit, plene ac fideliter satisfaciemus. Hæc autem protestatio subscripta per guardianum, et discretos conventus dabitur illi, qui tenetur testatoris voluntatem implere, et eadem protestatio scribetur in libro conventus; ut constare possit succedentibus guardianis, hanc constitutionem fuisse ad plenum adimpletam.

(93. Est autem hæc protestatio necessaria, ut optime decernit D. Bonaventura hanc disputans quæstionem, et ex Apostolicis declarationibus Regulæ nostræ colligitur. Et ut omnibus sit compertum id, quod tantopere est nobis necessarium, ipsam D. Bonaventuræ quæstiunculam ex suo *Apologetico* desumptam hic apponere de industria non gravamur, quæ talis est, ut sequitur.

Cum asseratis vos secundum regulam et professionem vestram nullos debere recipere proventus reddituum, seu possessiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, vide-

mini transgressores regulæ vestræ in eo, quod recipitis domos, vel areas non contiguas vestris areis, in quibus habitatis; eodem enim modo si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, et agros, et mansos, et similia quæque recipere, imo grangias, et villas, et castra, et terras, et oppida, et quæcunque fuerint vobis data, et sic pristina paupertas, et mendicitas, quam professi estis, paulatim evanesceret, et non erilis discipuli S. Francisci, cum non sequamini vestigia ejus, nec ejus Regulam teneatis; de domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quod pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis, sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vestri loco vestri exigit, et in usus vestros convertit de voluntate vestra. Si qui in talibus incaute agunt, dolemus, et contradicimus, et prohibemus. Qualiter autem in hoc licite agere possimus, adverte, et tunc non judicabis nos, si sane intelligis, transgressores. Protestamur nos secundum regulam nostram nil debere, seu velle possessionis, vel certorum reddituum recipere, vel habere: quia vero mendici sumus, et pauperes, ea, quibus pro præsentem necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, sive pro solvendis debitis, vel aliis necessariis procurandis. Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam, vel aream non contiguam nostræ mansioni, non recipimus eam per nos, nec per interpositam personam ut nostram. Sed si ille eam disponit per alium quemcunque, ut ea vendita de pretio ejus provideatur nobis ex parte sui in his, quibus tunc indigemus, procurandis, vel solvendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens ne forte ejus talis dispositio per hæredes suos, vel alios in posterum impediatur, propter hoc præoccupat roborare illam sigillo alicujus judicis, vel civium, vel alterius, et sic committit eam alicui amico suo, vel fratri, qui conservat, quod ipse disponit de domo tali, vel area, nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare, quod volet, nec locum talem, vel domum dicimus esse nostram, cum nihil juris nos in ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum, vel alium, quod de pretio, vel de proventibus illis, vel illis darentur fratribus tot panes quotidie, tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis, non essemus propter hoc prædii, vel reddituum possessores; nam si me petente eleemosynam aliquis dives promittat, quod singulis annis velit dare fratribus duas tunicas, vel tantum unam, vel singulis hebdomadibus tot panes, et hoc committat officialibus suis, ut vice sui ista dent etiam eo absente, et hoc pro fratribus recipiam, vel etiam, si illi negligant dare, admonendo exigam, nunquid propterea certos redditus habere dicendi sumus, cum non ex jure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiam, vel exigam?

Et sic post obitum illius uxor ejus, vel alii amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per

se, vel ex dispositione illius largiri, possimus similiter accipere ex eadem gratia, ita quod quocumque nollent amplius ista dare, nil peteremus ab eis quasi ex debito: sed more medicorum recurremus ad domum clementis domini pro quotidiana eleemosyna quandiu illi placeret, sed quando plus nollent, abiremus vacui gratias agentes de dato, et non murmurantes de negato. Hæc est vera, et pura vita mendicorum, quod datur, ex gratia recipere, non ex jure. De censibus vero domorum fratribus legatarum nihil quærimus, sicut nec de aliis redditibus. Si autem, antequam vendantur, aliquem inde censum recipiant, in quorum tunc potestate sunt illæ domus, nihil juris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis sponte oblatam simpliciter recipimus, sicut aliunde donatam. Quia vero Dominus docet nos cavere ab hominibus *Matth. x*; et Apostolus ab omni specie mala abstinere, *I Thessal. v*, ne putemur ab ignorantibus transgressores regulæ nostræ, debemus aperte protestari, nihil nobis juris in talibus donationibus velle habere, sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis judicari. Hæc omnia D. Bonaventura lib. *Apol.*, q. 9.

(94. Sed quia in his casibus solet aliquando evenire, quod annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiat habere aliquem patronum, cui fieri debeat talis, ut supra, protestatio, decernimus quod in tali casu servetur statutum ordinis Minorum sub Paulo II contentum in constitutionibus super c. 6 *Reg.*, § *Inhibemus*. Quod nimirum hujusmodi redditus assignentur rectoribus spiritualibus, aut temporalibus, collegiorum, aut communitatum, terrarum, aut civitatum, qui tales eleemosynas, sive fructus, vel redditus annuos nomine Ecclesiæ Romanæ, vel donantium sine fratribus exigant, et recipiant, et fratribus sive aliis sacerdotibus, quando fratres noluerint tales Missas, vel suffragia juxta piam intentionem benefactorum in toto, vel in parte secundum quantitatem talium obventionum interdicere faciant.

(95. Item statuitur, ut deinceps nulla instrumenta publica fiant a fratribus capitulariter congregatis nec quocumque alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium, et proprietas alicujus capellæ, sive sepulturæ, cum hoc omnino sit contra regulam, et nostro repugnet, instituto; nam quomodo aliquis dat, quod non habet? Si tamen occasio se obtulerit, in qua oporteat satisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos nostræ regulæ, et instituto congruentes. Est tamen protestatio prædicta necessaria, ne ut ait D. Bonaventura, ab ignorantibus nostrum institutum, regulæ nostræ transgressores judicemur. Cujus Seraphici Doctoris sententiam hic inserendam judicavimus, quatenus e medio tollatur abusus ignorantissimorum aliquorum, qui existimantes, Charibdim fugere, in Scyllam inciderunt, in favorem ordinariorum,

vel alienjus tertii, vel hæredis renuntiantes prædicta legata, quasi non esset opus proprietatis, et domini donare, sicuti accipere, et summa dementia alienum renuntiare.

(96. De hujusmodi autem bonis, seu illorum pretio generalis, vel commissarius generalis una cum consilio guardiani, et discretorum conventus in usum sacristiæ, fabricæ Ecclesiæ, et conventuum provideat, prout illorum necessitate perspecta salubriter in Domino expedire arbitrabitur. Et de hac provisione quamprimum sacram hanc congregationem fideliter certiore faciat. Hanc vero bonorum abdicationem, et legatorum renuntiationem fuisse executioni demandatam constare debet huic sacræ congregationi ex generalis, vel commissarii generalis, et ordinariorum attestationibus gratis, et absque ullo fratrum dispendio concedendis.

(97. Deinde a fratribus particularibus auferatur cujuscunque rei proprietas, si quæ sit, et omnia in communi redigantur ad regul. sac. can. Apostol. constit. et S. Concil. *Tridentin.* dispositionem. Potissimum vero tollantur pecuniæ, et quam primum insumentur in veras, et communes ipsorum conventuum necessitates, idque fiat a syndicis Apostolicis tantum, ita ut nihil pecuniæ mediate vel immediate supersit in manibus, vel potestate fratrum etiam superiorum.

(98. Ad hæc tollatur abusus aromatariarum, ita, ut de cætero illæ non retineantur, nisi ad usum monasteriorum duntaxat, nec liceat res illarum cuiquam vendere.

(99. Præterea nullo modo habeant in eorum ecclesiis, vel sacristiis, ut alibi cippos, et truncos ordinatos ad offerentium, seu donantium pecunias, nec capsulas pro eleemosynis Missarum.

(100. Ac demum superiores regulares invigilent, ut fratres communi mensa utantur, divina officia temporibus debitis recitent, vacent orationi mentali, et divinum cultum diligenter exerceant, et cætera impleant, ad quæ pro regulæ observatione tenentur.

(101. Hæc autem superius expressa fuisse ad effectum perducta constare debet eidem sacræ congreg. ex attestationibus medio juramento generalis, aut commissarii generalis, aut visitorum, prævia diligenti informatione capta in visitatione singulorum conventuum cujusque provincie. Romæ 14 Junii 1626.

(102. Hic juvat afferre declarationes editas a dicta sac. congreg. specialiter ad id deputata ab Urbano VIII, et relatas a Fagnano ejusdem congregationis secretario, lib. v *Decretal.*, in c. *Nimis pravo* 17, De excessibus prælator., a numer. 47 ad 54. Ibi.

DISTINCTIO I.

De legatis bonorum mobilium.

(103. Articulus I. An fratres Minores tam de Familia, quam Reformati sint capaces legatorum bonorum mobilium, quæ